

DISPUTATIO PHILOLOGICA
De
ANALOGIA
LINGVÆ SANCTÆ,

Quam
in Illustrissimâ ad Albim,

Sub PRÆSIDIO

Viri Præcellentis & Præclarissimi

DN. M. AUGUSTI Pfeiffern/

Lavvenb. Sax. Amplis. Facultat. Philosophicæ
Adjuncti meritissimi,

Domini Præceptoris, Fautoris & Amici

sui omni honore prosequendi,

Publicæ συμφιλολογούντων συζητήσεσ
sistis

JOHANNES SCHREIBERUS,

Fürstenav. Neo-Marchita,

Horis antemeridianis,

In Acroaterio Majori,

Ad diem 31. Aug.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt/

Anno M. DC. LXVII.

35.

a. LXXXIX. II.

Coll. diss. A
39, 11

VIRIS

*Admodum Reverendis, Excellentissimo,
Clarissimis atq; doctissimis,*

DN. DANIELI FESSELIO,
Pastori Cüstrinensium fidelissimo, Superintendenti
Neo-Marchiæ Generali vigilantissimo, & Hagio-
Synedrii Electoralis ibidem Assessori
gravissimo,

DN. M. JOHANNI TROJANO,
Ecclesiæ Landsbergensis Archidiacono
meritissimo, &c.

DN. MATTHIÆ SCHREIBERO,
Mystræ Ecclesiæ Fürstenav. &c. meritissimo, Patri
suo Filiali observantia colendo,

*Dominis Patronis, Mæcenatibus & Promotoribus
suis perpetuò observantia & honoris
cultu mactandis,*

Primitias hæc Academicas

humaniter & officiosè

sacratas vult



Johannes Schreiber,
SS. Theol. Studiosus.

Siccine, Amice, moves nunc Grammaticalia
bella?

Fastidire hodie talia bella solent.
Ast hoc iudicium vulgi; sed doctior orbis
Æstimat hæc pretio, suavis Amice, suo.
Auguror, & spero fore non vana omina nostra,
Eriget, ipse Tibi pulcra trophæa DEUS!

*In felici vena felicia DN. RES P.
quævis præc.*

M. A. Pfeiffer/
Fac. Phil. Adj.

Felix, qui *Docto* cum *Preside* pulpita scandit,
Exponens Lingvæ commoda multa sacræ.

Illius exponens genium, abstrusosq; recessus,
Et quicquid sancti continet in gremio.

Hocce Tuo exemplo verum, SCHREIBERE Polite
Nam quid in his valeas nostra Cathedra
probat.

Gratulor inceptis, progressus Jova secundet,
Et capiet Magnum Patria læta Virum.

*Pauca hæc Eximio atq; Literatissimo
Dn. Respondenti, Amico per dilecto
Gratulabundus apposuit*

M. Petrus Stamm
Halberstadenſis.

NEmpè quod attigeris Sanctæ mysteria Lingvæ,
Grammaticis Theſibus consolidare ſtudes.

Ritè facis. Plaudo, nec non ut Cœpta ſecundet
SCHREIBERE, Altipotens, corde calente
precor.

*Paucula hæc de formi verſu, at conformi
mente Politissimo Dn. RESPONDENTI
αὐτοχρηδίαζων ſcribebat*

Johannes Gvilielmus Hilligerus,
Chemnicenſis Miſnicus.



I. N. 7. C.

SYNOPSIS

SELECTIORUM EPHILOLOGIA SACRA
QUESTIONUM

De

ANALOGIA LINGVÆ SANCTÆ.

: הקדמה

DUm præsentibus circa Analogiam Ebraicam quæstiones expendimus atq; expeditimus, judicabant forsitan non pauci nos parum profutura Reipublicæ movere litigia. Sunt n. quorundam stomachi ita nauseabundi, ut cum talia nunquam delibare velint, etiam vix ferre possint. At cultriora quævis ingenia præcipuam quident rerum, vocum tamen non planè nullam habent rationem. Præsertim sacras literas feliciter atq; utiliter versaturi & interpretaturi, Grammaticum afferant apparatus necesse est, nisi velint se quandoq; dare turpiter. Graves a. viros nec levisimarum rerum decet ignorantia. Rectè Drusus in hunc sensum *l. 4. Prat. p. 123. Hujusmodi, ait, observationes, licet leves videantur, non sunt contemnendæ: nam ignoratæ magnas quandoq; tenebras offundunt viris magnis.* Surdis proinde auribus eorum judicia prætervecti, quibus hæc ad palatum minus sunt, nostrum conficiemus institutum & more solemnè præmittemus Theoremata adumbrantia analogiæ Ebraicæ methodicum nexum, qui fundatus est in *Λεξικογραφία* Grammaticæ *Trastio-Sennertianæ* Systemate, cujus haud assequuntur *ἀκρίβειαν*, & ne rationem quidem, qui existimant tamen *Quod soli sapiant, alii volitent velut umbra.* Id v. nostrum factum si illi improbent, qui notionum Philosophicarum generalitatem lingvis minimè servare censent, suo fruantur genio & suam sibi retineant *μεθοδείαν τῆς πλάνης*: nos malimus *ἰμμέθοδα*, quàm *ἀμέθοδα*.

A

THEORE-

THEOREMATA.

I. Grammatica Ebraica est habitus mentis organicus operationes intellectus in vocum Ebraearum apprehensione dirigens ad earundem aptam & concinnam prolationem.

II. Differentia specifica desumpta est à Subj. operationis & Fine. Subjectum operationis vel Immediatum est vel Mediatum. Immediatum sunt actiones intellectus (qui est Subj. inhætionis, vel si mavis, perfectionis) partim simplicis s. apprehendentis voces singulas, partim compositis s. voces jungentis & coordinantis. Mediatum sunt Voces articulatae & συλλαβῆς, non propriè quatenus voces, nec præcipuè quatenus significativa, sub quo formali potius ad Lexicam spectant, sed quatenus Grammaticè formabiles sive denominabiles sunt ab instrumentis Grammaticis velut mediis intellectum ab aptam ipsarum prolationem dirigentibus. Finis vel Externus vel Internus est. Externus, apta vocum tum separatarum tum junctarum prolatio, que non modò in pronuntiatione consistit, sed & in articulatione atq; formatione tum λέξεως tum Οροσεως. Internus ad externum obtinendum ordinatus est organica operationum intellectus per Νοήματα secunda directio.

III. Grammaticæ (pro diversa ratione Subj. operationis, cui media destinatur) duæ partes sunt: Etymologia & Syntaxis. Illa media pro vocibus separatis, hæc pro coordinatis exhibet.

IV. Etymologia versatur circa vocis separate Materiam & Formam. Materia vel remota est, sc. literæ & Puncta, tum vocalia, tum non vocalia, sed lectorem facilitantia: vel propinqua nim. Syllaba, cui (mediate, at vocali immediate,) accidit elevari per Tonum, ut alibi ostenditur. Forma a. intelligitur accidentalis & externa, nam interna & essentialis vocis forma est significatio. Hinc duæ iterum Etymologiæ subordinatæ partes: Orthographia, de quâ actum, & Analogia, que κατ' ἐξοχλὴν Etymologia dicitur. Illa circa vocis materiam, hæc circa formam occupata est.

V. Analogia versatur circa vocis separate formam in Genere & in Specie. In genere, dum tradit ejus partim accidentia communia vel omninò vel κατὰ τὴν; Illiusmodi sunt Species & Figura, &c. hujusmodi Genus & Numerus: partim communia principia s. axiomata Grammatica generalia de elementorum præcipuè vocalium conformatione s. de generali mutatione literarum & vocalium. In Specie, dum distinctè pertractat partes Orationis.

VI. Vox

VI. Vox Grammaticè considerata vel est κλιτή, vel ἀκλιτή. κλιτή vel Nomen vel Verbum est. Hoc consignificat Tempus & Personam, illud neutrum eorum. Mediat inter utrumq; Participium, unde & nomen habet. Participat n. de verbo Tempus, de nomine flexionem. Ad verbum tamen reducitur, tum ob ordinariam rationem ὑπέσεως, tum quod participet quid de interna verbi ratione. ἀκλιτή est Particula. Inde Ebraeis tres partes Orationis Nomen, Verbum & Particula.

*VII. Verbum consideratur quoad Accidentia sua τὴν κατὰ τὴν communia Genus & Numerum, ob diversam ὑπόθεσιν aliὰ, à Nominalibus κερτή-
ρια seorsim tractanda: τὴν propria, quæ sunt Modus, Tempus, Persona. Temporum v. per personas utriusq; generis & numeri inflexio dicitur Conjugatio, quæ proprie Ebraeis non nisi una est, plures tamen dantur verborum ordines differentes tum charactere interno s. modo significandi, tum externo, per literam vel punctum impresso, quorum unum flexionis schema dari potest.*

VIII. Verbum est vel Perfectum vel Imperfectum. Illud nullo casu ullam literam thematicam amittit; hoc quandoq; & pro diverso abjectam compensandi modo, dicitur esse vel Defectivum vel Quiescens.

IX. Nominis Accidentia κατὰ τὴν communia sunt Genus & Numerus; Propria Articulus, Casus, Declinatio, Comparatio. Quæ tn. non omnia dantur in Ebraismo ἀκρίβως loquendo & formaliter, sed materialiter & κατὰ ἀναλογίαν.

X. Nomen primò vel Principale est vel Secundarium sive Vicarium. Illud deinde vel Adject. vel Substant. & hoc vel Appell. vel Proprium est. Hoc aliàs vocatur Pronomen. Estq; iterum (ratione formæ Grammaticæ, cujus hic semper potior habenda ratio, quàm significationis) vel Separatum vel Inseparabile, aliàs Præfixum Affixumve.

XI. Vox ἀκλιτή s. Particula vel Separata est vel Inseparabilis.

QVÆSTIONES.

*Qv. I. Num analogia Ebraica commodè citra omnem vocalium
ὑπέγνωσιν tradi queat?*

Resp. Affirmat id Cl. Ravius Anal. Ebr. p. 84. & aliam ad nandam Grammaticam censet pro Bibliis punctatis, aliam pro non punctatis. Sic ante paucos annos prodiit Olivarii Bulæi Vinsobrii Methodus Ebraica, per quam, ut pollicetur autor, Ebraeorum lingua sine punctis facillimè simul & accuratissimè disci queat. Præsupponit Autor, cum linguam Ebraicam hodie non ob familiarem sermonis consuetudinem, sed ad

sacrarum literarum intelligentiam discamus, perinde esse, quomodo-
 cunq; voces legantur, modò intelligantur. Hinc literas quatuor quie-
 scentes א, מ, נ & ו in locum vocalium A, E, U, I substituit. Si nulla ex
 iis præsto sit, nec tamen sine vocali lectio confici queat, ad pronuncia-
 tionem ait adscisci posse A, utpote Vocalium naturalissimam. Huic
 hypothese suam superstruit methodum vel potius *μεθόδον*, juxta quatuor
Pf. I. v. 1. 2. p. 34. ita legit: *Ashri eaush a shar la ele babbatfat rashabbim
 ubdrac hatbaim la bhamad ubmushab latfim la ishab. 2. Ri am baturt Jeye
 hapatsu ubturtu jege jumam ulile, &c.* At forte parum sobrius nostro ju-
 dicio erat Vinsobrius, cum istam primùm excluderet methodum.
 Nam 1. Analogia lingvæ Ebraicæ maximam partem à vocalibus depen-
 det. Quæ ergò habemus veri Ebraismi ἐπέματα, extingvit Vinsobrius
 & introducit lingvæ ἑβραϊκοῦ, si à nobis proferatur, δυνατά-
 λητόν & filiabus hodieque superstitionibus pro matre vix agnoscendam.
 2. ה contra omnium orientalium praxin per E effert, quibus nunquam
 vocalem sonat. 3. Vinsobrianae methodi præcepta quidem pauca, at nō
 minus exiguus usus & difficilis applicatio est. Nam eadem literæ di-
 versas sustinere possunt vocales significatione mirum sæpe in modum
 variantes. Inde consonæ absentibus punctis lectionem obscuram &
 lectorem dubium reddunt. Ea obscuritas si non punctatione, tamen
 pronunciatione tollenda est. At nullo modo potest juxta Vinsobrium.
 Namq; ipse has tres literas דבר legit *Dabar*, ubicunq; vel quomodo-
 cunq; occurrant. Jam verò legi possunt דָּבַר, דִּבֶּר, דִּבְרָה, דִּבְרֵי,
 דְּבַר &c. Dum ergò Vinsobrius ubiq; legit *Dabar*, annon innumeras
 introducit in lingvæ Ebraicæ homonymias, quibus carere possumus,
 si diversas istas lectiones vel punctis vel saltem voce distingvamus?
 Eruditus lector judicet.

Qv. II. *An in lingua Ebraica nulla dentur Anomalia?*

Resp. Nulla dari in lingua Ebraica Nomina & Verba Anomalia, nul-
 là Imperfecta, Cl. Ravii assertio est *Anal. p. 84.* Nos licet lubenter fateamur
 plerasq; Anomalias esse quoad nos, nec nisi cogente necessitate ad
 anomalam (velut ignorantiaæ asylum) confugiendum esse censeamus,
 tamen, prout lingvæ Ebraicæ hodie habemus, quandoq; conceden-
 das esse putamus formas monadicas & quæ sub communem regulam co-
 gi nequeant. E. g. cum ex דָּבַר fit דְּבַר, ex אִשָּׁה &c. Sic דְּבַר
 &c. quomodo n. in talibus te quis expediet, nisi vel ad ficta themata
 vel steriles regulas confugiat? Quin versis alibi velis Cl. Vir Anoma-
 lae

fas radicales habent. Duo ex Elia habet Bellarminus sc. כרם & כרבל
 & præterea nulla fortè dari putat. Ast duo alia nim. תורה & רשע
 addit Abr. Gibelius in *strigili Err. 81*. Quintum est פוש Job. 36. 9. Hæc
 verò partim non *εικεία*, partim è trilateris oriunda alii volunt. Conf.
 Elias *Or. 4. fund. 13*. Pagninus *Inst. p. 207*. Rösselius *Can. 89*. Imperfectis
 talia accenset Altingius *Fund. punct. 80*. Bilitera verba multò minùs con-
 cedimus. Frustrà à *Non-nemine*, cujus nomen dignum est, quod in
 arena scribatur, qui hic loci ante annos non ita multos radices trilate-
 ras derivativas esse contendebat, huc accersebantur formæ קם & כב,
 quarum hæc non expansa sed contracta est, illa radicem integram non
 exhibet. Dum v. inde, quod omnis radix Ebræis trilatera, Cl. Ravius
p. 81. & Helmontius *de Alphab. Ebr. naturali p. 96*. certum radicum Ebrai-
 carum numerum definiunt, in aëre, quod pace eorum dictum sit, venari
 videntur. Cl. Ravius radices naturales in qualibet lingua vel dialecto
 orientali numerat 8000. Nam, ait, 20. ducto in 20. facit 400. ergò omnes
Alphabeti literæ insimul sumtæ, sunt autem 20. habebunt 8000. 20. in 400.
ductis. Helmontius ex Hutteri hypothese radices ejusmodi numerat
 13248. quarum tamen 2117. tantum actu usitatæ sint. Verum licet toti-
 dem posibles literarum trium compositiones concedamus, non ta-
 totidem oriuntur dabile lingvæ Ebrææ radices, ut de usitatis vel jam
 vel olim non dicamus. Nam certæ literæ dantur, ut י & ך, quæ ultimam
 radicalem nunquam constituunt, ut nec ך primam. Sic eadem litera ter
 reperita vel posita nunquam facit radicem; ægerrimè prima radicalis
 secundæ similis esse potest. Et ἐξαγωγίον est multas posibles radices
 nunquam usitatas fuisse. Hinc tot in *Cubo Hutteriano* lacunæ, magnam
 partem inexplebiles. Ergò numerus radicum olim usitatarum hodie
 defini nequit: possibilem enumeratio inutilis est. Nomina tandem
 quod attinet, ea ternarium radicalium numerum perpetuò servare
 non videntur. Plurcula n. è quatuor pluribusve radicalibus constant
 E. g. nomina ignobiliorum animalculorù quorundã טלעם *Bombyx*,
 עכבש *Arenea*, עכבר *Mus*, עכשוב *Aspis*, עטלה *Vespertilio*, עקרב
Scorpio, פרעש *Pulex*, צפרדע *Rana*, חרגור *Cantharus*. Sed quædam
 ex iis peregrina, quædam haud simplicia sunt. Ordinariè proinde &
 nominis thema trilaterum est. Matris æmulæ in literarum radicalium
 numero utrunq; sunt lingvæ cognatæ Chaldæa, Syriaca, Samaritana,
 Arabica, Æthiopica. Cæteræ planè inconstantes videntur, cum primis
 Ægyptiaca, quæ radicem verbalem admittit promiscuè μονόζαυμον
 E. g.

E. c. τ *dare*, ι *venire*: biliteram E. c. ω *bibere*, χω *linguere*: triliteram
E. c. κωτ *edificare*, ολι *ferre*: τετραγράμματος E. c. αναα *videre*, μοβι
ambulare: & πεντεγράμματος E. g. ρωτεμ *audire*, ηωλεμ *rapere*, &c.
Sed hæc in gratiam Φιλογλώτων ως εν παρόδω.

Qv. VI. *An cujusq; radicis formale significatum omnibus derivatis communicabile suppeditari queat?*

Resp. Cl. Bohlius edidit aliquot Disputationes de formali significationis eruendo in explicatione Scr. S. è quibus duodecim ad nostras pervenerunt manus. Ponit illic Vir Cl. hoc velut fundamentale axioma: *Omnes voces, quæ descendunt ex radice, debent habere idem formale radicis.* Vult nim. omnes radices habere unum formale, generale & abstractum significatum, quod communicari queat omnibus derivatis si non semper propriè, tn. κατ' ἀναλογία. Id assertum confirmat multis exemplis. Sed & jam ante eum Junius *Gram. p. 40.* dixerat: *Primitiva omnia cum suis conjugatis semper communicant significationes, sive id propriè fiat, sive figuratè.* Et Nic. Petrus in *Lexico Grammaticæ* subjuncto formalia significata eruere & derivatis applicare conatus est; quod promiserat, sed non præstiterat Junius. Nos, quanquam concedamus radicem, uti iteras, ita & significationem communicare derivatis, tamen non satis probatum ab ullo putamus, quod lingua Ebræa planè nullas radices habeat purè æquivocas, quibus vix ulla lingua caret. Si verò quædam dentur radices æquivocæ, sequitur non posse abstrahi unum formale significatum omnibus omninò derivatis communicabile. E. g. רָבַר est *verbum, res.* רָבַר *adytum.* רָבַר *caula,* רָבַר *api.* רָבַר *rates.* רָבַר *pestis.* רָבַר *desertum.* Una radix omnium רָבַר. Hujus num unum generale & formale significatum dari idq; deduci queat vel propriè vel per comòdam analogiam in omnia derivata recensita, dispiciant alii. Interim damus radicem æquivocã in sua æquivocata divisam deinceps derivatis diversam significationem communicare. Conf. Joh. Cothmanni *Def. circa quæst. de matrimonio Comprivign. c. 1. p. 4.*

Qv. VII. *An tertia Præteriti rectè ponatur loco radicis verbalis?*

Resp. Affirm. Quia (exceptis verbis quiescentibus A in Vau) in omnibus verbis tam perfectis quàm imperfectis exhibet & omnes & solas radicales. At verò Joh. Gravius *Elem. lingv. Pers. p. 44.* consultius Infinitivum loco Thematis poni autumat, idq; ob verba quiescentia A in Vau: cum in cæteris Infinitivus absolutus, qui vocatur, etiam contineat omnes & solas radicales. Nos tamen tertiam Præteriti retinendam putamus, cum infinitivo verborum cum primis imperfectorum
et ulteriores.

Qv. VIII. *An*

Qv. VIII. An tertia radicalis verbi possit esse litera Jod?

Resp. Quæsitum rectè negat Aben Ezra ad Exod. I. 16. quem sequitur Buxtorfius *Lex.* p. 222. & *Tbes.* p. 262. Contrà sensit El. Hutterus, qui היה sæpe deducit ex וי . Sic excusationem non mereri ait Gibelius *Srig.* §. 116. quod Bellarminus היה deriveret à היה . Fundamentum assertionis quærant in voce היה , quæ usum verbi alicubi habere videtur & referre formam היה . At verò היה nomen est, quanquã materialiter quandoq; exprimat verbum. Conf. *Gen.* 16. 14. *Num.* 14. 21. &c.

Qv. IX. An nomen præmittendum sit verbo?

Resp. Kimchi uterq; Elias, Balmesius, Chabib & communiter Ebraei tres constituunt orationis partes שם Nomen, פועל Verbũ & מלתחטעם Particulam. Articulus n. affectio Nominis est. Pronomen vicarium Nominis: Participium reducitur ad Verbum. Particule, cum hic influxu suo aliis orationis partibus eam non inducant mutationem, quam in lingvis aliis, in plures classes haud deducuntur. Cæterum Particulæ pleriq; ultimum adsignant locum. Præponit tamen eam Schindlerus, & ad Nomen reducendam vult Cl. Ravius p. 85. 86. At in nominis & Verbi ordinatione non consentiunt Grammatici. Nomen Verbo præmittunt M. Kimchi, Chabib, Abr. de Balmis, R. Benjamin f. Juda, Pagninus, Junius, Buxtorfius, Martinus, Cevallerius, Waiganmeir, Petrus, Schickardus, Waserus, Waltherus, Mehlfürer, Scherzerus, Hanckenius, Hottingerus, Ravius, Wasmuth, Altingius, Bohemus, alii: at verbum Nomi Elias, Erpenius, Schindlerus, Trostius, Sennertus, Dilberrus, Neander, Clewardus, Clajus, Gualperius, Baldovius, Boblius & alii. Rationes illorum sunt 1. quod Nomen in ordine constructionis prius sit Verbo, ut Subjctum Prædicatõ. 2. quod Nomen sit simplicius, quia non adsignificet Tempus & Personam. 3. quod Nomen sit facilius. 4. quod Participium, quod ad verbum reducitur, sine Nominis מקום comodè tradi nequeat, juxta cujus quippe normã flectatur. Rationes horũ sunt 1. quod Verbum sit natura prius, cum Nomen, si non perpetuò, tamen ut plurimum ex Verbo oriatur. Ordo a. doctrinæ debet sequi ordinem naturæ. Et ut res est inessendo, ita & in cognoscendo. 2. quod Nomen sequatur Verbi analogiam. Nam si verbum sit perfectum, & Nomen tale erit; contrà, si illud sit imperfectum. Ut nostrã addam היה , obrationes datas rectè censemus præmitti Verbum, ita tñ. ut docentis prudentiæ committatur, quid primo ultimo loco tradere velit.

Qv. X. An formæ verborum mixta inferant mixtam significationem?

B

Resp.

Resp. Notant Grammatici in sacro codice formas verbales mixtas,
 1. è *Charactere diversorum idiomatum* Chald. & Ebr. ut הִזְנוּחוּ Es. 19. 6.
 2. è *diversis ordinibus verborum*, ut אֶקְרָא 1. Sam. 28. 15. ex קָרָא &
 קָרָה זָכַח. 10. 6. ex הוֹשִׁיבְתִים Zach. 10. 6. ex שׁוּב & יָשַׁב Ezech. 36. 11. ex טוֹב &
 יָטַב &c. ex בּוֹשׂ & בּוֹשׂתִי. 3. è *forma activa & passiva*, ut הִנְדִּיף
 Ps. 68. 3. הִנְיָחָה Zach. 5. 11. 4. è *diversis Conjugationibus*, ut Kal & Piel
 הִלַּחַת Gen. 40. 20. Ezech. 16. 4. Kal, Hophal & Hitpael הִתְפַּקְדוּ Num. 1. 47.
 נִלְדוּ 1. Par. 3. 5. Niph'al & Pual נִלְדוּ 1. Par. 3. 5. Niph'al & Hitpael
 נִסְרוּ Ezech. 23. 48. Pual & Hitpael מִנְאֵץ Es. 52. 5. Hophal & Hitpael
 הִכְבַּסְתֶּם Lev. 13. 56. הִשְׁמַח Deut. 24. &c. 5. è *diversis temporibus*,
 ut Præt. & Futuro הִתְבַּחֲתִי 1. Sam. 25. 34. הִתְבַּחֲתִי Es. 63. 3. Præt. & Part.
 מִשְׁתַּחֲוִיתֶם Ez. 8. 16. מִקְנֵנִי Jer. 22. 22. &c. 6. è *diversis*
personis, ut I. & II. תִּגְלִיתִי Hof. 11. 3. 7. è *diverso numero*, ut נִשְׁאָר Ez.
 9. 8. 8. *ex utroq; genere*, ut מְבַלְיֹתֵי Jer. 8. 18. יִחַמְנָה Dan. 8. 22. יִשְׁרְנָה
 Gen. 30. 38. 1. Sam. 6. 12. Conf. Balmesius R 6. seq. Buxtorfius Thes.
 p. 103. 115. 125. 128. 129. 133. 135. 146. 147. 148. 149. 195. 204. 205. 212. 225. 244. 294.
 Schindlerus p. 216. Hottingerus Erot. p. 135. Wasmuth p. 199. & alii. Num
 a. talis mixta forma inferat mixtum sensum, non injuria quaeritur. Nos
 respondemus 1. de multis exemplis litem adhuc sub judice esse. 2. de
 quibus res certa, adhibita esse לְקַצֵּר הַלְשׁוֹן וְלְצַחוּתוֹ singularis empha-
 seos & compendii causa. 3. Satiùs tamen in plerisq; esse agnoscere sim-
 plicem vocis anomaliam, quàm recurrere ad σύμμιξις significatum.
 4. Si tn. eam res exigat, vocem concipiendam ut multiplicabilem, s.
 potestate plures complectentem: aliàs n. non nisi unus unius vocis
 sensus & significatus est. Conf. Glasius Phil. Sacr. 1. 3. tr. 3. c. 31.

Qv. XI. Quot dentur Ebrais Tempora?

Resp. Ebrai Modos & Tempora Verbi jungentes numerant sex
 פְּעוּלוֹת s. Operationes: עָבַר Præteritum, בִּינְנוּי Partic. Præsens, פְּעוּל
 Partic. Præt. מְקוּר Infinitivum, צִוּוּ Imperativum, עָתִיד Futurum: quæ tn.
 minus benè à quibusdam (quos sequitur Cl. Wasmuthus) vocantur to-
 tidem Tempora, ut rectè notavit Balmesius. Unde & gratis quatuor
 Tempora Ebrais dixit esse Clenardus. Tria aliàs Verbi Finiti Tem-
 pora in genere agnoscunt omnes lingvæ: Præteritum, Præsens, Futurum.
 Totidem Ebrais tribuunt Schindlerus, Alstedius, Hottingerus, alii.
 Quanquam n. non dentur in uno modo explicitè, dantur tn. in Verbo,
 quæ

quā ἐπιλάτῃ Participium comprehendit. Quod aliàs Præsens explicitè ap. Ebræos non datur, nonnulli inde esse putant, quod nō tam tempus sit, quam copula Temporis. At Præsens verum tempus esse probat B. Sperlingius *Inst. Phys. l. 2. c. 6. qv. 2.* Summa: datur Præsens tempus Ebræis implicitè, quia exprimitur per Præt. & Futurum, & materialiter, quia circumscribitur per Participium & Pronomen: non datur in verbo finito explicitè & formaliter.

Qv. XII. Quot agnoscant Ebraei Conjugationes Verborum?

Resp. Conjugatio Ebræis revera non nisi una est. Ratio: Quia unus datur modus inflectendi Tempora Verbi per numeros & personas. Agnoscunt id B. Trostius, Exc. Sennertus, Baldovius & accuratiores quiq; Sic & una est Chaldæis, Syris, Samaritanis, quibus aliàs tres: Arabibus, quibus tredecim: Abyssinis, quibus Jac. Wemmerius quatuor, J. E. Gerhardus novem & Jobus Ludolfus decem adscribunt: quin & Persis, Turcis, Coptitis &c. At jam quæritur potiùs, quot dentur ap. Ebræos distinctæ significationū classes ex una radice caractere diverso mediante ortæ? Christiani cōmuniter hoc sensu quatuor constituunt Conjugationes, duas leves & duas graves. Videantur Munst. Jun. Aven. Erp. Schindl. Buxtorf. Trost. Mart. Waigann. Neand. Clen. Glas. Cevall. Gualp. Senn. Clajus, Boblius, Amama, Petrus, Schorz. Hotting. Wasm. Hanek. &c. Alii activas à passivis divellentes septem faciunt, tres activas, tres passivas, unam reciprocam. Ita R. Sal. Jarchi in לשון לשון למורי citante Balmefio, Elias Levita in הכהן / ס. Alstedius, Schickardus, Ravina, Altingius, aliive. R. Dav. Kimchi in מכלול & Mos. Kimchi in שביעי הרעתי מnumerant octo hasce: Kal, Niphal, Piel, Pual, Hiphil, Hophal, Poel, Hitpaël. Sic & Bellarminus, strigili idcirco exceptus à Gibelio. At veteres, teste Balmefio, R. Juda Ching, quem המדקדקים שנתא vocat, R. Jona, Aben Ganach, Aben Esra, R. Joseph Kimchi RR. Davidis & Mosis Pater, sic & Ephodeus aliq; sex modo recensuerunt h. m. Kal, Hiphil - Hophal, Piel - Pual, Poel, Niphal, Hitpaël. Hos sequitur Pagninus, suamq; sententiam fusè propugnat. Balmefius, qui itidē fusissimè de præsenti controversia agit, constituit novem Conjugationes simplices, sex activas Kal, Hiphil, Piel, Poel, Niphal, Hitpaël; tres passivas Pual, Poal, Hophal; quib9 addit duas compositas Hotpaël & Nephoal, ut in universum adeò essent undecim, vel decem, si Pual non distingvatur à Poal. Nos cum doctis Christianis retinemus quatuor h. m. Kal - Niphal, Piel - Pual, Hiphil - Hophal, Hitpaël. Præsupponimus a. 1. Conjugationes hic non enumerandas esse pro diversa flexione. Sic n. una foret. 2. Nec pro diverso caractere externo.

Sic n. minimum quinque essent, nam Niphal à Kal caractere differt. 3. Nec pro diverso statu & punctatione literarum radicalium. Sic n. quadraginta & plures forsan dari possent, cum in verbis imperfectis literæ radicales aliquando pereant, aliquando alia habeant puncta. 4. Passiva non esse discerpenda ab activis, idque è consensu ferme gentium. Sic in lingua Latina Græcave activa & passiva ad unam Conjugationem constituendam junguntur, quanquam diversum habeant flexendi modum. 5. Formas monadicas & insolentiores non augere numerum conjugationum: quod n. raro fit, in regulam trahendum protinus non est. In specie formam Poel ad Piel reducunt Elias, Buxtorfius p. 119. 217. Erpenius p. 104. Martinus Technol. p. 124. Hottingerius Erot. p. 69. Sennertus p. 59. Waltherus p. 176. Was-muth. p. 96. aliive. Et rectè noravit Coddæus ad Mart. p. 170. formam Poel in perfectis rarissimam esse. Sic nec in geminantibus Ain perpetua est. Forma פוּל a. huc referri solita non tam est פוּל quàm פוּל.

Qv. XIII. An detur Enallage Numeri in prima persona verbi?

Resp. Afferunt id Judæi & Sociniani eo fine, ut eludant locum è Gen. I. 26. & c. XI. 7. ad probandam personarum divinarum pluralitatem adduci solitum. Probant v. è locis sequentibus Gen. 29. 27. Num. 22. 6. 2. Sam. 16. 20. Job 18. 2. Cant. I. 4. Dan. 2. 36. 1. Reg. 12. 9. Addunt in speciem 1. cum detur Enallage Numeri in secunda & tertia persona, quidni etiam in prima? 2. Ferè omnes linguas Enallagè Numeri in prima persona admittere. At v. loca ab iis adducta omnia excusit Glassius Phil. S. I. 3. Tr. 3. c. 51. & contra istam Enallagen fusè disputavit B. Jac. Wellerus Spicil. Qv. Syro-Ebr. 2. qv. 1. Rationes additæ non stringunt; nam nec à secunda tertiave persona ad primam necessaria est collectio, nec aliæ linguæ præjudicant Ebrææ. Quin etsi Enallagen talè ἐκ τῆς τριτῆς cum Exc. Dn. Sennerto Idiotism. p. 59. concederemus, nil tñ. omninò citatis initio decederet locis. De priori ulterius conf. Helvicus Diss. Gies. T. 4. disp. 10. p. 214 f. D. Jac. Mart. de tribus Elohim l. 1. c. 8. Haveman. Wegeleucht. p. 500 f. & in Theognosia c. 2. § 11. D. D. Calovius in AntiGrotio & T. 3. Syst. p. 46. Feurbornius in Anti-Enjedino p. 7. Hackspanius Not. Bibl. D. Müllerus in Judaism. p. 1153. seq. Hottingerius in Hexaem. p. 246. f. Coccejus in Sanbedr. p. 225 f. Rivetius Exerc. 4. in Genes. Hoornebeck contra Jud. l. 5. c. 2. & alii.

Qv. XIV. An verba in Piel & Hiphil sustineant quandoque significationem permissivam?

Resp. Verba Hiphil & transitiva Piel facta ex intransitivis Kal nunquam nudam inferre permissionem contra Phil. Melanchth. asserit B. Franzius de Interpr. SS. Omac. 24. & loca Exodi de induratione Pharaonis

non

non συγχωρητικῶς, sed ἐκβατικῶς exponenda censeat, (quæ etiam sententia est B. Dannhavveri *Id. boni Interpr. p. 174.*) monetq; loca pro permissiva significatione adferri solita loqui de efficaci concessione & elargitione potestatis. Sic verbi הִרְחַם & הִרְחַמְתִּי *conservativam* esse potestatem dixit Altingius *p. 71.* At v. quicquid sit de illis Exodi locis, ubi etiã alii indurationẽ capiunt negativè vel privativè pro non-emollitione vel subtractione gratiæ (conf. Glassius *Phil. p. 593.*) verba Hiphil & Piel quandoq; denotare solam non-prohibitionem vel talem concessionem alicujus actus, ut concedens nil conferat ad eum, quanquam prohibere possit, è locis his *Gen. 24. 17. Deut. 2. 28. Jos. 9. 15.* & similibus manifestum videtur. Conf. Glassius *Phil. p. 610.*

Qv. XV. *An Defectiva Pe Jod, Pe Lamed & c. sic Quiescentia Pe Aleph, Ain Jod, & c. constituant peculiare verborũ imperfectorum classes?*

Resp. Verba imperfecta dicuntur ea, quæ non retinent ubiq; omnes radicales. Pro diverso a. modo amissam compensandi dividuntur in *defectiva* & *quiescentia*. Utrorumq; Grammatici certas constituunt classes. Videntur tn. eas non pauci multiplicare præter necessitatem. Sic frustra constituitur distincta classis Verborũ *defectivorũ Pe Jod*. Nã cætera verba à Jod inchoata sunt quiescentia: octo *defectiva* fortè. Ab inductione itaq; potiori fit regula, quæ obstant habentur pro exemptis à regula comuni atq; anomalis. Sic & gratis constituitur ordo *Defectivorũ Pe Lamed*. Nam vix unũ alterũve exemplũ regulæ suppetit. Una a. hirundo non facit ver: nec regulam unum exemplum. Superfedere & possumus peculiari ordine *Defectivorum Lamed Nun & Thau*. Nam נ & ת cum alio נ & ת compendii causa in literã dagessatam coalescunt, quæ propriè non compensat, nec n. potestate, sed actu duas exhibet literas, alteram radicalẽ, servilem alteram. Nec opus quiescentib9 *Pe Aleph*. Nam eorum exempla numero vix sunt totidem quot Thebarum portæ vel ditis ostia Nili. Cætera ab א inchoata quiescentia haud sunt. Nec quiescentibus *Ain Jod*, quia cum quiescentibus *Ain Vau* coincidunt. Malè tn à Martinio *Technol. p. 112.* tolluntur ordines *Defectivorum Pe Nun & Quiescentium Pe Jod*. Nam verba à Jod & Nun incipientia primæ literæ schevande suis locis ordinariè jacturam faciunt.

Qv. XVI. *Num Ebraei habeant nomina composita?*

Resp. A compositione vocum propriè dicta valdè abhorret Ebræ9 sermo. Et verba quidẽ è radicib9 quoad literas mobiles diversis conflata omninò non agnoscunt. Simplicia utcunq; pro compositis satisfaciunt. Quin & ea, qua per composita famosius exponuntur, simplicem significationẽ tanquã basin præsupponunt. Sic הִלַּח & הִלַּח ἀπλῶς, indifferenter & sine respectu exponenda: *Scandere Jos. 7. 24. Jud. 11. 37. c. 15. 11.* Conf. Sixt. Amama *Reg. Text. p. 74.*

Quæ verò duplicem habent imperfectionem, ἀνύρως composita dicuntur à Bellarmino, Erpenio, aliisque; ut & quæ habent formam mixtā, à Covallero Hottingero &c. פֶּרַשׁ quidē Non nemo ex פֶּרַשׁ & נִזְהָ compositū dicit, id tñ. vel origine πλεγματισμῶν est, vel quod verisimili9 è פֶּרַשׁ cū paragoge, literæ ך, quæ ejusdē organi cum ultima ejus radicali. Nomina porrò εἰσεία & appellativa composita sunt omniū rarissima, quin juxta quosdā nulla. At certè פֶּרַשׁוֹן citra controversiam est ex פֶּרַשׁ & מִן, quanquam Laur. Fabritio, teste Bohemo p. 53. à פֶּרַשׁ deduxerit.

Qv. XVII. An Jehova sit Nomen Proprium?

Resp. Probant hoc aliās exinde 1. quod ipse Deus hoc nomen sibi soli vendicet Exod. 3. 15. c. 6. 3. Es. 42. 8. 1. Reg. 18. 21. &c. 2. quod nemini præter Deum in calurecto, ut vocant, & sine addito tribuatur, ut probavit Havemannus in Theogn. Prol. §. 4. f. At nos desumimus firmum argum. purè Grammaticum à caractere nominū priorū, de quo Ephodæus Op. Gram. c. 9. Nam ut alia propria hominū, ita & hoc nomen 1. respuit He Emph. 2. non assumit affixa. 3. non admittit formā constructā, nec 4. in pluralē flecti potest. Exhibilanda quippe est crassa inscitia Matthæi Doringi, qui contra Burgensem ad Exod. III. asserit Tetragrammaton non carere plurali: quærit n. delirus homo, quid veteret dicere à Tetragrammaton Tetragrammatones, sicut Simeon Simeones. Conf. Cartwrightus Elect. ad Exod. p. 22. A mama de nomine יהוה th. 17.

Qv. XVIII. An Ebræi habeant certam diminutivorum terminationem?

Resp. Duplicem modum suppeditant authores, Ebræis in exprimendis diminutivis solennem. Prior, notante Kimchio in פֶּרַשׁוֹן r. נַחֲשׁ ad Ps. 17. est, ut in fine adjiciatur terminatio ך, vel ךו E. g. נַחֲשׁוֹן enulum, פֶּרַשׁוֹן pupilla qf. virunculus, quod viri parvi imago in oculo conspiciatur. שַׁבְּתוֹן Sabbatulum. At quanquam Syri per insertum ך diminutiva exprimant, incerta tñ. res de Ebræis. Nec n. exempla adducta sunt ἐξαγωγή. Certè פֶּרַשׁוֹן etiam de nigredine noctis usurpatur, ubi virunculi imago nulla. Prov. 7. 9. c. 20. 20. Posterior mod9 in geminatione secundæ & tertiæ radicalis consistit. Hinc Aben Esra ad Ps. 45. Quando prima & secunda thematis geminatur, hoc fit פֶּרַשׁוֹן ליתרון ad αὐξήσιον. cum v. secunda & tertia פֶּרַשׁוֹן ליתרון ad ὑψίστιον. E. g. פֶּרַשׁוֹן subviridis, פֶּרַשׁוֹן subrubidus, פֶּרַשׁוֹן deunculi, פֶּרַשׁוֹן deastri, פֶּרַשׁוֹן pulchellus es, &c. Eadem inculcat Pagninus Inst. l. 2. c. 8. At certissim9 modus ille est, quo per Adj. קטן vel similiter Ebræi diminutiva פֶּרַשׁוֹן & פֶּרַשׁוֹן.

Qv. XIX. Num plures quam due dentur terminationes pluralis Numeri apud Ebræos?

Resp. Tres cum Covallero recenset Bertramus p. 52. 88. addens notissimis terminationem ך. At hæc constructi nominis est. Absoluti Vir Cl. Hottingerus

gerus sex constituit plurales terminationes *Erotem. p. 40.* primam usitatis-
simam Masculinorum מִי, quatuor inusitatioris itidem Masculinorū מִי, מִי, מִי, מִי, ultimā foemininorū מִי. At minus benè. Namq; de statis & propriis
Ebraeorum terminationibus pluralibus sollicitus esse debuisset. Sic facile
sequestrasset peregrinam מִי, insolentiorē מִי, apocopatam מִי, & spuriam
מִי, quæ dualis non pluralis est.

Qv. XX. *An nomina מִי & מִיִּם sint dualia?*

Resp. Negant id Lud. de Dieu *Animadv. in V. T. p. 2.* Hottinger9 *Hist. Creat.*
p. 26. & Cl. Bohemus *Gr. Ebr. p. 57. 115.* Rationes eorum huc redeunt 1. quod
singularis, ut ex lingua Æthiopica colligere est, sit מִי, מִיִּם E. pluralis מִי
& מִיִּם. 2. quod nulla ratio dualitatis dari queat. 3. quod dentur alia
pluralia ejus terminationis. 4. ita sensisse Hieronymum. At rationes nostræ
pro affirmativa hæ sunt 1. quia habent terminationē dualē, & quidem præter
suas radicales. 2. quia habent tonū in penultima: at omnia pluralia habent
tonum in ultima. Ad eorum rationes respondere difficile haud est. Ad 1.
&. Quanquam singularis esset מִי & מִיִּם, pluralem tñ. juxta leges Grāma-
ticas fore מִיִּם & מִיִּם. Ad 2. Nec opus quidem esse. Conf. *Glass. Phil.*
p. 438. D. D. Wellerus *Spic. III. qv. 2.* Ad 3. esse petitionem principii. Nam
מִיִּם, quod Hottingerus adducit, duale est: & notum Ægyptum à Geo-
graphis in superiorem & inferiorem dividi. Sed מִיִּם quod addit, nec
duale, nec plurale, sed singulare est, quod firmiter inde colligitur tum quod
ultima litera sit radicalis, tum quod Chald. scribatur מִיִּם. Ad 4. Hiero-
nymum locutum de plurali ἐν πλατῆ, vel non quatenus duali, sed quate-
nus singulari opponitur, quo respectu & duale nomen rectè plurale dicitur.
Conf. de מִיִּם Exc. D. Sennertus *ad Ps. 1. q. 8.*

Qv. XXI. *An plurale מִיִּם honoris causa adhibeatur pro singulari?*

Resp. Pluralia nomina dominii & quæ ἀυξησησι significationis suæ non re-
spiciunt, in plurali adhiberi de uno etiam individuo non uno in loco asserit
Kimchi, ut in *Micl. p. 55. f. & 705. in מִיִּם & מִיִּם ad Es. 19. 4.* Hunc sequun-
tur à Christianis nō pauci. Allegant verò pro se loca *Gen. 24. 9. c. 40. 1. c. 42. 30.*
Ex. 21. 4. 9. c. 22. 10. 1. Reg. 16. 24. Es. 19. 4. Sed quicquid de veritate regulæ Kimchi-
anæ & de illis exemplis sit, in quib9 quandoq; μερισμὸς locū habet, vel non
una persona, sed ejus totū involvitur dominiū, ad quod pertinent consiliariū
& ministri; certè nomen מִיִּם Buxtorfius *Thef. p. 353. & 433.* & Hottinger9
Erot. p. 155. malè nominibus istis accensent. Nec n. in suo formali dominiū
involvit, nec ἀυξησησι in DEO inferre potest. Potius ad exprimendum SS. Tri-
nitatis vel saltem pluralitatis personarū mysterium, plurali numero efferri à
Theologis & Christianis Philologis religiosioribus dicitur. Ostenderunt id
fusius

Jufius Hunnius in *Calv. Jud. & AntiParco* l. p. 1. f. Jac. Martini l. 1. de 3. Elobim à p. 5. ad 68. Meifnerus *Phil. Sobr.* P. 2. p. m. 287. f. Gerhardus *Exeg.* l. 2. §. 52. f. Havenreffer *LL. Th.* p. 40. f. Feurbornig in *AntiEnjed.* ad Gen. l. 1. D. D. Calovius *disp. de Plur. Pers. & Syst.* T. 3. p. 41. f. Havemannus *Theogn. c. 1.* Glassius *Phil. S.* p. 441. Dn. Sennertus *Tr. de nomine* אלהים: & è Calvinianis præter alios Zanchius de 3. Elobim l. 2. c. 1. Alstedius *Lex. Theol. c. 2. p. 100. f.* Altingius *Exerc. 3. Grammaticæ subnexâ, de אלהים, &c.*

Qv. XXII. *An dentur Ebrais casus propriè dicti?*

Resp. Negativæ probatio difficilis haud est. Cum n. ap. Ebræos nomen in uno eodemq; numero non obliquetur s. flectatur è terminatione, quam vocant, rectâ in obliquam, patet non dari propriè dictos casus. Conf. Schick, *Ebr. Trichter* p. 93. Petrus p. 27. Ravius p. 87. Hinc frustra fingit septem Ebræorum casus Bokbbitius quidam, notis addens Instrumentalem, Eodem n. jure adjicere quoq; potuisset *Circumlativû, Commorativû, Narrativum*, quos liugvæ Armenicæ applicat *Clem. Galanus*. Quanquam n. particula quædâ utcunq; exprimant aliarum linguarum casus, tamen nec omnibus casibus particula diacritica respondet, nec quibus respondet aliqua, respondet perpetuò. Sic nequicquam ה Genitivi vel Vocativi notam faciunt *Avenarius, Alstedius, Pagninus, Bellarmin.* aliiq;. Nam convenit omnibus casibus ex æquo. Sic Ablativi nota non est יד. Nec n. omnis vox respondens Ablativo יד habet. E dictis liquet, sub quo moderamine concedendæ sint duæ declinationes. Sc. quatenus declinatio sumitur pro sola variatione Nominis de numero in Numerum. Conf. *Martinius Technol. p. 86. & Coddæus Not. ad Mart. p. 153.*

Qv. XXIII. *An הָאָנְהוּ semper sit nota Accusativi?*

Resp. Assertio est B. Lutheri de ult. *verbis Dab.* defensa à Gibelio *Strig. Bell. S. 35.* Et vera est utiq; sed limitanda, sc. Si præcedat verbû activû. Hinc *Gen. IV. 1.* הָאָנְהוּ esse notâ Accusat. & constructionē appositionis ultrò sequitur. Falsò ergò reddunt: à, Onkel. Arabs, Ital. Angl. Junius, Piscator: per *Dativû Nachmanides, Calvinus aliive: cum, Raschi, Aben Melech, Corn. à Lap. Mercerus, Druſivus l. 2. q. 64. & l. 3. obs. & ad diff. LL Pent. Rivetus, Sixt. Amama in Antibarbaro: per LXX. V. V. Grotius &c.* Conf. *Gesnerus, Lyserus, Rungius, Gerh. b. l. Hunnius Calv. Jud. & AntiParco, Helvicus Desid. Ebræ, Glassius Christol. Mos. Waltherus Offic. Bibl. Wellerus Spic. l. q. 2. Mullerus Jud. P. 1. l. 1. c. 3. D. Calovius Antigr, Havemannus Theogn. c. 5. §. 2. & Wegel. p. 481. Hackspanius in. Not. &c.*

Qv. XXIV. *An Nomina divina aliis addita exprimant quandog; Superlativum?*

Resp. Ita ex Kimchio, Druſius atq; Buxtorfius, cumq; iis Exc. Dn. Sennertus *Idiotism.* p. 58. Sixt. Amama *Reg. Text.* p. 89. D. D. Wasmuth p. 67. & Altingius p. 42. Hinc & explicant phrasin N. T. *αἰεὶ τῷ θεῷ ἅπασι* Act. 7. paucasve similes Camerarius *illic, Pasor de Dial. N. T. §. 78. Wyffius Dialectol. p. 310. & Joh. Vorstius Phil. S. c. 16. CL. Glassius Phil. p. 422.* hanc addit *Ἰμπεριον, πρῶτως*, propriè & formaliter nomen DEI additum in exemplis pro regula citatis causam efficientem notare; significationem intensivam esse *ἐπιμεινν*, secundariam & materialem. Quod de plerisq; facilè concedimus, vix de omnibus. Conf. *Vorstius l. c. p. 390.*

Qv. XXV. *Num terminationes plurales Masc. & Fæm. aliquando permulentur?*

Resp. Negat id CL. Ravius. At nodum in scirpo quaerit. Nam Nomina אבות & שׂים utiq; sunt pluralia. Habent autem terminationem suo generi non congruam, Gravis dicitur ו & י esse radicales, ו & י formativas.

TANTUM EST.

Coll. diss. A. 89, misc. 11